

VII. Accentum Athnach in super haberi, mirum est ab Hackspanio & Amama objici, qui vocales & accentus (non minus quam aliquando Lutherus) pro invento Rabbiorum & additamento reliculo habent, vel habere didicerunt, & propterea alibi securè negligunt. Id enim à Præceptore Drusio edoctus est Amama, vid. Drusii Opus. de recta lectione Ling. Sanctæ cap. 4. pag. 6. & Hackspanius passim prodit, vid. ejus Miscell. p. 225, & Not. Philog. passim. Interim neuter rationem accentuum Hebræorum habuit cognitam cum id objiceret. Quippe accentus non habent vim distinguendi absolutam, ut commata & cola Latinorum, sed merè relativam, quatenus nempe sibi invicem subordinantur certâ propositione. Unde sæpiùs eadem Propositio Athnacho interpungitur, qui subjectum à prædicato, vel utrumque ab objecto distinguit, ut statim primus versus Geneseos exemplum prodit. Ita nullâ ratione adversa est accentuatio versus Versioni Lutheri, neque obstat Athnach, quo minus quæ præcedunt pro subjecto, quæ sequuntur pro prædicato accipiantur.

VIII. Ineptior est censura, quæ à præfixo ה petitur, quæ etsi dativi nota sit hoc loco, sensu tamen convenit cum Genitivo; quæ enim sunt *abscondita penes Deum*, sunt *abscondita* sive *mysteria Dei*. Attamen à Drusio Præceptore (Vid. Drusii Gramm. Lingv. Sanctæ. in præfat. circa finem,) discat Amama etiam ה Genitivi Casus indicium esse, qui in *Traçtatu de Literis Mosæ Vechaleb. Lib. 2. cap. 6. p. 37.* hanc dat regulam Grammaticam: *Lamed, ponitur articuli loco ante Dativum casum, & ante Genitivum.*

IX. Tandem de statu vocis נִסְתָּרוֹת vel absoluto vel constructo, non est quod multa perdamus verba. Neque enim regimen locum habet, nisi in immediata vocum conjunctione; cum verò particulae intercedunt, ceu præfixæ vocibus literæ, quæ illas conjungunt, malè poscitur immutatio vocalium in voce præcedente. Unde quæ sine ה dicerentur לִי נִסְתָּרוֹת jam rectè dicuntur לִי נִסְתָּרוֹת eodem sensu. Atque ita Versio Lutheri ab iniquis Censuris satis vindicata erit.

SOLI DEO GLORIA!

10th. diss. A. 107, Misc. 36